

Vg  
4698





K. 10





Vg  
4698

20

188<sup>a</sup>

19

I. N. J.

Quantum Pontificiis

# Reformatio B. Luth.

ipsis non diffitentibus profuerit?  
*Consentiente summè Reverendo Theolo-*  
*gorum Collegio,*

in Illustri Univerſitate Wittebergenſi,

SUB PRÆSIDIO

ACADEMIÆ h. t. RECTORIS

JOH. FRIDERICI MAYERI,

Doctoris & Professoris Theologi, Facultatis

Theolog. Aſſeſſoris, Alumnorum Electoral. Ephori,  
Templi omnium Sanctorum Præpoſ. Subſtituti,

*Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris, nullo non Honoris,*

*Pietatis & Obſervantiæ cultu ad cineres uſque venerandi,*

ipſo Reformationis feſto d. 31. Octobr.

horis pomeridianis

*in Auditorio Theologorum*

P. P.

LAURENTIUS *Wittmann*/

Flenſb. Hoſf. SS. Theol. Studioſ.

A. O. R. MDC LXXXIV.

Exprimebat CHRISTIANUS SCHRÖLTERUS, Acad. Typ.





Reformation B. L. 1. 1. 1.

in dieser ...

JOH. FRIEDRICH MAYER

Bochum & ...

...

...

...

BRILLIANT  
MAY 18 1871







JESU FORTUNANTE!

THES. I.

*Luthero Versionis Vulgatæ emenda-  
tionem Pontificii debent.*

**D**lus sæpe beneficii ab inimicis, quam ex ami-  
cis ad nos redundare, nescio, quis veterum  
(precariò enim jam memoria paret) sed sapi-  
enter dixit. Amicis quippe affectus suus glau-  
coma objicit, ut vitia nostra aut minora pu-  
tent, aut planè non videant: Illi verò, qui ma-  
ligno nostram fortunam intuentur animo, aqvilinis aut ser-  
pentinis oculis acerrimè omnia perlustrant, neque aut di-  
ctum, aut factum aliquod nostrum, quod non ad accuratissi-  
mam virtutis normam exactum, illos facilè effugerit. Ab  
his, qui humana quadam imbecillitate domi ferè cœcutim⁹,  
discere possumus, nobis quod ex usu fiet. Id si attendere vel-  
lent Papæ adultores, mitius utiqve insanirent contra Luthe-  
rum nostrum, (quem præter meritum hostem suum vocant,  
nisi is hostis nomine veniat, qui æternæ felicitati tuæ studet,)  
cui tot errorum suorum notitiam debent. Sed beneficia e-  
jusmodi, quia tristem habent frontem, & ab injuria videntur  
esse, acerba plerumqve sunt occupatis animis. Nos igitur o-  
missis his, quæ illi pestilenti æternumqve exitiosa occultant  
malitiâ, aut invidiâ, adeò ut accepisse nollent, de quibus hoc  
die, quo per DEI gratiam Reformationis recolimus beneficia,  
horis antemeridianis è suggestu Lutheri Ecclesiastico plura  
diximus. Saltem de iis Theandri nostri meritis, è cathedra

A 2

B. Viri



4 *Quantum Pont. Reformatio B. Luth.*

B. Viri Academica differamus, quæ ne illi quidem diffiteri audent. Hòc animo cum simus, diu utiqve non deliberandum, quodnam primo, quod ultimo loco commemorandum nobis sit. Bibliorum enim translatio tam nitida, tam accurata (quam & ob conformitatem cum Hebraica veritate laudat ipse *Richardus Simon* Congreg. Orat. Presb. in *Catalogo præcipuar. Edit. Biblicar. suffixo Hist. Criticæ* V. T. p. m. 142.) divinum plane opus, (vide sis *B. Matthesii* de Vita Lutheri Conc. XIV. p. 154. seq. & *B. Gerhardi* Confess. Cathol. p. 450. 454. *B. Mülleri* Lutheri Defensi cap. XX. Scripsimus & nos plurima in vindiciarum Versionis hujus usum, adversus impias Lojolarum instantias in *Reisenden Lutheraner ins Pabsthum* p. 358. seqq.) tantum reliqua tanti Viri merita antecellit, quantum cœlestia præstant humanis. Hujus æmulatione accensi Tridentini patres (an vitrici? quia ipsis Ecclesia noverca fuit) de publica emendatione Versionis Latinæ, quam Vulgatam vocant, consilia inierunt; id quod nemo vestrum, ô Monachi! negare audeat, nisi qui plane frontem perfricuit, pudorem perdidit. Vestram, cucullati, testor conscientiam, annon innumeris ferè Solœcismis, Barbarismis, vitiis etiam grammaticalibus, quæ ferulam Orbili mererentur, scatuerint Biblia vestra Latina, antequam Lutherus elegantissima sua versione vestris hominibus pudorem injiceret. Tam lutulenta certè oratio fluxit, tantas sordes secum traxit, quibus expurgandis Hercule ex Augiæ stabulo opus fuisset, nisi in ejus vicem duo Pontifices Romani successissent, de quibus mox dicam. Vix certè epistolæ obscurorum virorum, in quas tamen velut in sentinam data opera tot seculorum sordes confluxere, turbidius manant. Accipite specimen, argumentum volo illud Scholasticum quod *B. Hunnig* in Exam. Contr. I. Gen. de V. D. lib. II. c. 14. stylo vulgatæ composuit: *Deus*  
(*Jacob.*



*ipsis non diffidentibus profuerit?*

(Jacob. 1.) intentator est malorum, odivit (Ps. 25) enim impios & non (Joan. 4.) contititur illis; memoratur (Luc. 1.) autem piorum. Ergo vos, o ignavae (Luc. 23. ventres, quæ &c.) ventres, Monachi, qui sub capite (Exod. 25.) estis interrasiles, (Exod. 25) & oleati, (Num. 11.) attendite. Vos apparescitis (4. Eld. 7.) quidem de foris (Gen. 7.) sancti & docti, sed ab (Ps. 45.) intus estis indocti, & infructivi: (Eccles. 43.) & nota est vestra ineruditio (Eccles. 4.) & malitia, quam docet vos ociositas. (Eccles. 23.) Scopite (Ps. 77.) a Spiritum vestrum, & penitemini, (Act. 3.) odite (Ps. 96.) malum, desinite, (Eccles. 28.) inimicari, & cessate Evangelium oppugnare gratis, (Ps. 118.) nec angariate (Matth. 5.) Lutheranos ad falsam doctrinam vestram: sed meliora (Joh. 14.) horum facite, quæ fecistis, ut fructum plus (Joan. 5.) afferatis, & impleamini (Matth. 22.) bonorum. Aliàs surget Deus, & sagittas suas ardentibus (Ps. 7.) efficiet, & scopabit (Esa. 14.) vos in scopaterens. Tunc partibuntur (Ps. 59.) famelici milites substantiam vestram, & insuspiciabiles (Eccles. 25.) viri metibuntur (Ps. 59.) agros vestros, & quod reliquum est in monasterio, consummabunt. (Luc. 15.) Vos autem benè (Zach. 13.) plagati stabitis foras (Act. 16.) portam, quasi crapulati (Ps. 77.) à vino, & aporiati, (Esa. 59.) & extunc (Ps. 92.) in subsidiati (3. Esdr. 9. & in auxiliati (Sap. 12.) pulsabit per (Act. 10.) ter, in idipsum. (Ps. 121.) Non intromissi murmurabimini, (Exod. 16.) & curretis passus mille & alia (Matth. 5.) duo. Sic exclusi manicabitis (Luc. 24.) in magno frigore ad Papam, & dicetis illi. Sanctissime Pater viri abominati (Tit. 1.) & incredibiles (ibid.) emigrarunt (Ps. 51.) nos ex monasteriis nostris. Tunc Papa dicet: Dilecti filii, vos o creaturæ meæ: qui (Gen. 50.) in presentiarum (1. Tim. 1.) naufragavistis, estote patientes, neque zelate (Ps. 36) ipsos, qui enim me confusus (Marc. 8.) fuerit, & ego



*confundar (ibid.) & iterum nocebo (Act. 7.) illum. Veruntamen introite jam in culinam, ut calefaciamini. (Jacob. 2.) Sed hoc sermone non consolabimini, (Matth. 5.) nec continget vobis longiturnitas, (Baruch. 6.) sed unà cum Papa de jiciemini in profundum (Esa. 14.) loci, ubi vermis infernalis elinget (Baruch. 6.) corda vestra.*

*Sed & Monachia vestra, cur neque nubunt (Matth. 12.) neque nubuntur. Super sperant (Ps. 118.) quidem ille in operibus suis, & appetiant (Zach. 11.) ea pretio magno: Sed Deus illis non promeretur (Hebr. 13.) Superba sunt, & linguata (Eccles. 25.) & indisciplinata, (Eccles. 7.) nec dominantur (Ps. 10.) affectuum suorum; ideo fient in deminoratione, (Eccles. 22.) propter nimietatem (Sap. 4.) superbia sua. Non memorantur (Luc. 1.) quod Deus odit superbos, & recipit humiles. Sicut Davidem de post foetantes (Ps. 77.) accepit & fecit Regem populi sui. Nam humiles propter suam humilitatem non minorabunt (2. Cor. 8.) Quis has veneres videns non tussiat? Albericus Gentilis itaque vix septem Anticyris caput expugnabile gestat, qui adversus Hunnium Patrocinium foeditatis istius suscipere ausus fuit, causam interserens, ex stare similia locutionum exempla in probatae notae autoribus. Sed objiciat quis, infra majestatem Roman. Pontificis esse Grammaticae ferulis (conf. ex Platina Aventino, Volaterrano B. Zeemanum in Apol. Art. XVI. Uncatholischen Pabstthums cap. III. p. m. 719. & B. Dorschaum AntiKircheri p. 73. seqq.) manum subjicere: Saltem errores Theologici & ἑρμηνευτικοὶ (quos collegit Sixtinus Amama in AntiBarbaro Biblico, Dan. Chamier Panstratiae Catholicae To. I. Lib. XIV. c. 11. 12. 13.) tollendi erant. Nemo verò Ecclesiae jussu, ante Lutherum manum admovebat, nemo Camarinam hanc sollicitare volebat. Tandem nostrae Versionis æmulatione impulsus Patres Concilii*



*ipsis non diffidentibus profuerit?* 7

buli Tridentini Emendationem Bibliorum decreverunt. Suscepit deinde hanc operam in se Sixtus V. Romanus Pontifex, nulliq; labori pepercit, ut maculas has elueret. Diligentiam istam laudat *Angelus Roccha* Bibliothecarius Vat. p. 227: *Quarta quæ sequitur inscriptio, ingentem indicat curam & verè Pontificiam, quam Sixtus V. toto suscepit conatu pro Bibliis vulgatæ editionis emendandis & imprimendis, juxta Concilii Tridentini præscriptum. Quà in re præstanda tot ac tantos die noctuque perpeffus est labores, quantos nemo unquam verbis exprimere posset, ut mihi persuadeo, qui hujus generis labores re ipsâ videns non semel tanquam oculatus testis obstupui. Universam enim Biblia, antequam prælo committerentur, ad verbum perlegit, etiamsi quotidie in omnes totius Christianiorbis curas, & gravissimas quidem, totus incumberet. Sic igitur paginam perlegit universam & emendavit: atque ita ut omnes sacri codices juxta ejusdem Concilii decretum cum omnibus suis partibus legantur, prout in Ecclesia Catholicâ legi consueverunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur. Nec eò contentus, universam item Biblia sic emendata & recen-ter impressa de integro perlegit, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent. Describit ipse Sixtus V. in bulla Bibliis suis præfixa: Tanta labes ne ad huc ulterius serperet, sensimque in Vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem œcumenica Synodus Tridentina decrevit, ut hæc ipsa Vetus, & Vulgata editio post hæc quàm emendatissimè imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius, quæ germana esset, lectio nesciretur, sacerq; textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is, qui adversus perfidum hostem, tanquam validissimus mucro distinctus fuerat, idem & clypeus fieri posset, quo debilitati jam, cæsiq; hostis latera tegerentur. Id igitur nos indigne ferentes,*

nta-  
o. 2.)  
inget  
iem-  
inget  
n. 12.)  
peri-  
Deus  
e (Ec-  
s. 10.)  
s. 22.)  
antur  
Sicut  
m po-  
inora-  
? Al-  
nabi-  
istius  
locu-  
piciat  
maticæ  
man-  
p. III.  
anum  
(quos  
. Cba-  
ollen-  
anum  
t. Tan-  
ncilia-  
buli



8                      *Quantum Pont. Reformatio B. Luth.*  
tes, eoq; indignius, quod per hosce jam viginti duos annos, qui  
à dicto Tridentini Concilii decreto, ad nostri usq; Pontificatus  
e ordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando cœ-  
ptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum,  
nullumq; huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat:  
ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum  
censentes, quanto magis, & ab omnibus DEI Ecclesiis expeti-  
tur, & à Synagogis Satanae reformidatur; cum primum ad  
Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio, meritis li-  
cet imparibus evocavit; nihil tandem antiquius habuimus,  
quam ut primo quoque tempore, optatissimam istam Vulgate  
editionis emendationem aggrederemur. Itaq; viros complu-  
res doctos, qui sanctarum Scripturarum, sacrae Theologiae,  
multarumq; linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum  
usu, acriq; cum aliquid discernendum est, iudicio, ac solertia  
prestarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germa-  
na, sinceraq; sacri textus editione perquirenda, strenue labo-  
rarent, nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitu-  
dinem perpendentes, ac proinde considerantes, ex precipuo,  
ac singulari DEI privilegio, & ex vera, ac legitima successione  
Apostolorum principis B. Petri, pro quo Dominus ac redemptor  
noster, ab eterno Patre pro sua reverentia procul dubio exaudi-  
t9, nō semel tantū sed semper rogavit, ut e9 fides, non humanā  
carne, & sanguine, sed eodē Patre inspirante ei revelata, nun-  
quā deficeret; cui etiam Dominus injunxit, ut ceteros Apostolos  
in eadem fide confirmaret: qui denique, sicuti confidimus, di-  
vinam pro nobis opem usque ad consummationem seculi, Ecole-  
siae Catholicae promissam, implorare non cessat, ad nos in ejus-  
dem Petri Cathedra, in quā ejus vivit potestas, & excellit au-  
toritas, DEO sic disponente constitutos, totum hoc iudicium  
proprie, ac specialiter pertinere, DEI omnipotentis auxilio sup-  
pliciter



*ipsis non diffidentibus profuerit?*

*pliciter invocato, & ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctæ DEI Ecclesiæ utilitatem haud quaquam gravati sumus, inter alias Pontificiæ sollicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, anteferenda essent, dijudicare, adeo ut in hoc laboriosissimæ emendationis Curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: Ita tamen, ut Veterem multis in Ecclesiæ ab hinc seculis receptam lectionem omninò retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apostolico Vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnifice exstruximus, atque ad ejus curam, congregationem aliquot sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium, & insigne Collegium doctissimorum fere ex omnibus Christianiorbis nationibus, & celeberrimis studiorum Generalium universitatibus, amplis, opulentisque redditibus donatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eaque res quo magis incorruptè persiceretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua prælo vitia obrepserant, & quæ confusa, aut facile confundi posse videbantur, ea intervallo scripturæ, ac majoribus notis, & interpunctione distinximus. Qui Sixtus, ob studium in sacras literas, quas in vernaculas ad Lutheri exemplum judicavit transferendas esse, commendandus quoque est. Non possum mihi temperare, quin adscribam verba hominis Pontificii autoris *il Vaticano Langvente* p. 490. ex *Versione Wagenseilii* mei in præfat. ad *Tela ignea Satana* p. 24. *PASQUINIUS*. Ecclesiastici nostri, loquor generatim, similes sunt psittacis, loquentibus linguam quam non intelligunt, & dicentibus, quæ dicere jubentur, sed*

B

igno-



ignorantibus, quæ dicunt. Sic bona pars Sacerdotum & Fratrum legit Breviarium & Missale, atque præcipua eorum librorum, pectori vel potius memoria infixæ habet, sive quam ut sensum quing; vocabulorum assequatur. GIBBERUS RIALTINUS. Atqui, si Religiosi non sciunt, quæ dicant, quomodo poterunt id scire tot pauperes Fideles, qui in nostra Catholica religione vivunt, plane uti Psittaci in cavea circularum ferreorum. MARFORIUS. Duplici ratione remedium parari potest huic malo: scilicet, omnibus imperando, ut æque bene linguam Latinam addiscant, ac tenent vernaculam, ut ab omnibus probe intelligi queat, cum res quasi impia sit, obstringere simplicem Fidelem, ut psittacorum more loquatur, ignoretq; de qua materia loquatur. PAS. Sixtus V. qui malum cognoscebat, nunquam alium scopum habuit propositum, quam ut dissiparet abusus, qui in Romam, & in Ecclesiam fuerant inducti, cogitabat necessarium afferre remedium: transtulerat enim, & postea prælo subjecerat sacra Biblia in lingua vernacula, quod fuisset opus sanctissimum utilisimumq; Fidelibus, si illius consilium omnes amplexati essent, & Pontificis Successores, invicem condemnandi eam translationem tanquam opus hæreticum, potius in omnibus Regnis Christianis eam divulgassent augendoq; numerum, repetitis exhortationibus quemque Fidelem obstrinxissent, ut illius exemplar domi suæ teneret. MAR. Optima intentio magni istius Pontificis tam male fuit explicata, ut multieum tanquam hæreticum traducerent: Quin ad eo quidam Cardinalium, cum vidisset dicta Biblia in vernacula, alta voce exclamabat: Aut peritura est Ecclesia DEI, aut iste Papa morietur.

Atq; quia haud multo post illius mors consecuta est, non sine suspitione veneni, malevoli illico rumorem spargebant, istud esse miraculum cælo demissum: prorsus, quasi delictum esset,



*ipsis non diffidentibus profuerit?*

11

esset, monstrare simplicibus viam cœli. GIB. Ecclesiastici, qui magna ex parte rudes sunt, nolunt, ut plebeji homines ipsis doctiores evadant, timent enim, ne, si bene sacram Scripturam intelligant, moveant dubia & quæstiones, quibus non queant respondere, quippe scopus illorum est cumulare opes, potiri honoribus, & superiores sese reddere ipsis Principibus, non vero erudire ignorantes.

Sed ad Sixtinam versionis vulgatæ emendationem redeamus. Tantum vero tribuebat Sixtus huic suo labori, ut quasi jam summæ perfectionis laudem haberet, fulmine eos attonaret, quicumque posthac aliquid corrigere præsumsissent. Lege Bullam Kalendis Martii Anno 1589. Pontificatus Sixti anno quarto scriptam.

Et tamen Clemens VIII. quasi laurea corona munitus, fulmen contempsit, atque ad 2000. alios errores ex ista versione censoria virgula ejecit, sed magno infallibilitatis Pontificiæ periculo. Transigant inter se Beatissimi Patres, uter mundum deceperit. An Sixtus? qui versionem suam sub excommunicationis pœna omnibus numeris absolutam adseruit, an Clemens? qui tot errores in Sixtino opere reliquos ostendit, utriusque sane, censente *Abrabarao Bzovio cap. 14. de Rom. Pontif. privilegio*, non falli nec fallere scire, sunt gavisissimi. Adde his, quæ scripsimus, *Thomæ Jameli* novi Collegii alma Academia Oxoniensi socii, & utriusque Academiae in Artibus Magistri, **BELLUM PAPALE sive Concordiam discordem Sixti V. & Clementis Octavi circa Hieronymianam editionem.** Neque sicut tamen puritati pristinae Versio reddita est. Provoco ad confessionem *Lucæ Brugensis* Decani Audomarensis, qui catalogum concinnavit *variarum lectionum*, quo ponderato post geminam Sixti & Clementis VIII. expurgationem, possit perfectior reddi feliciter cœpta correctio, si Ro-

B 2

mani



*mani Pontificis accedat autoritas. Idem nobiscum sensisse & Bellarminum & Joannem Baptistam Bandinum Præfectum Biblioth. Vaticanæ, Simon Episcopus Institut. Theologic. Lib. IV. c. XXI, sect. 1. f. 267. probat. Simonis Richardi Pontificii Viri ingenuam confessionem habes l. c. p. 139. seqq. Tam oculatos hos homines Lutheri fecit studium Biblicum. Fatetur id non sine stomacho Jacobus le Febure Doctor Sorbonicus in præfat. Versionis Vulgatæ Parisiensis editionis.*

THESIS II.

*Quod Scripturam ad probandos fidei articulos Pontificii adhibeant, Lutheri Beneficium est.*

**E**Volvat quis veterum Scholasticorum scripta, *Lombardum dico, Thomam, Scotum* & reliquos hujusce commatis, & videbit controversias fidei ex Patrum placitis aut Philosophorum fundamentis probatas, assertas, decisas. Hoc scilicet est soli lucem ex culinâ foenerari & triariis supplementum ex calonibus scribere. Natæ hinc non pauca Pontificiorum de Scholastica Theologia querelæ, quas compendio exhibet *B. Dorschaus* Præfat. ad Intervent. pro Mysterio Trinit. a. 5. seqq. & Maxime Rev. *Spizelius* noster Felicis Literati p. 584. alii; commendandus etiam *Christophori à Capite Fontium* Hominis Papæi elegantissimus libellus *de necessaria correctione Theologiæ Scholasticæ*. Statim verò ac *Lutherus* noster panopliâ cœlesti Scripturæ Sacræ armatus Pontificiorum levem armaturam profligavit, coacti & Papæi sunt meliora sibi arma comparare. Scripturariariorum enim & Bibliistarum (ita enim nostros milites contemptim appellant in primis *Valerianus M. de A catholicorum & Catholicorum Regula credendi* P. 1. p. 32, P. 2. p. 187.) tot clamoribus, compulsi sunt castra mutare, & vel invitati nostris armis uti. Scilicet



licet ex *Martini Becani* Jesuitæ voto ap. *Alegambe* Biblioth. Jes. p. 232. *pro Hereticis* (sic orthodoxos protervè nominant) non solum orandam, sed & studendum erat, & in textu quidem Biblico, qui ut *Valerianus M. Cappucinus* l. c. confitebatur, *muscas ipsis faciebat molestissimas*. Confer *Jac. Gord. Hunt- lai* Lojolitæ ingenuam Confessionem, quod in Lutherano- rum gratiam argumenta è Sacro Codice desumpta adhibere, necesse habeant, quæ alias non curarent, quàm alibi in disput. *de Conjugio Petri* dedimus. Et quis in solitam uteri Roma- ni fœcunditatem non miretur, quæ post Lutheri tempora, Scriptores Curia Romanæ ad elucidandam Scripturam Sacr. animum summo studio adplicuerunt, & tot Commentarios *Cornelius à Lapide, Lorinus, Cosmas Magalianus, Sanctius, Serarius, Menochius, &c.* generarunt. Sic namqve, quod præclare apud *Curtium Alexander* dixit, *fortuna, belli artem quoq; victos docet*. Quod reputans *Lycurgus* legem tulit, ne idem hostis sapius impugnetur, notante *Plutarcho* in *vita e- jus*; quo nomine & *Agésilus* postmodum à Thebanis vulne- ratus, reprehensus est, quod *didaxerit* istud se dignum ab illis retulerit, quos invitos in bello exercuerit. A nobis ergò tantum abest, ut adversarios instituisse ad hanc artem pœni- teat, ut omni potius obsecratione lectionem Scripturæ ipsis commendemus, quàm ipsi suis hominibus non nisi diu mul- tumqve petita & anxie concessa (conf. hanc in rem *Nicolai le Maire* Sanctuarium Profanis occlusum) venia indulgent. Verentur nempe, tot exemplis edocti, (è quibus *Jacobi Rei- hingii* nunc allego) ne illi, cognita causæ nostræ bonitate, in nostra castra sublatis vexillis agminatim transeant.

THES. III.

*Catechismos Romana Ecclesia Lutheri laboribus possidet.*



Quantum utilitatis ex Catechismi doctrina ad totam Ecclesiam redundet, dici non potest. Ita enim teneris agnis & nondum capacibus solidioris cibi, lac immulgetur, ut ad justam staturam adolecant imbuti ita animi. Quæ Cathetica puerorum informatio, instar foecundissimæ puerperæ habet, quæ DEO infinitos quotidie liberos parit, & ad coelum transmittit, quod prolixè probari posset, si opus esset. Magnum itaque studium Pii Patres olim Catechumenis impenderunt, Clemens Alexandrinus apud Hieronymum de Script. Eccles. Origenes Euseb. L. 6. Hist. Eccles. c. 2. Cyrillus Hierosol. alii. Horum expressissima vestigia secutus Lutherus, omni studio, omni conatu id egit, ut Catechismum, in Papatu ignotatum, in Ecclesiam reduceret. Et factum sane ingenti successu, frementibus quamlibet & ringentibus adversariis, qui pueros puellasq; nostros, fidei suæ rationem exactiorem dare posse Monachis suis, ipsi adeò veritate fiducias admovente fatebantur, conf. Cochleum f. 55. de Actis & Scriptis Lutheri, Ant. Possevinum Jesuitam Ep. de Necessitate, Utilitate ac ratione Catholici Catechismi p. 39. edit. Ingolstadt. 1583. Quid verò Papatus ante Lutherum & florebat & defendebatur, Fides implicita & carbonaria, id est, pecuina ruditas atq; ignoratio rerum ad salutem necessariorum. Orta hinc prudentiorum inter Pontificios vota, de concinnando aliquo libro Elementa fidei tradente. Ita Parisiensis Scholæ Cancellarius, Job. Gerson. in Epist. de neglig. Prælator. & reformatione Facult. Theol. Parisiens. lectu certe dignissima. Tom. IV. Opp. f. m. XIX. a. Item forte expediret, quod sicut olim tempore quarundam pestilentiarum facultas medicorum composuit tractatulum ad informandos singulos: ita fieret per facultatem (Theologicam) vel de mandato ejus aliquis tractatulus super punctis principalibus nostræ religionis; & speciali-  
ter



*ipsis non diffidentibus profuerit?*

15

*ter de præceptis, ad instructionem simplicium, quibus nullus sermo aut raro fit, aut male fit.* Junge ejusdem Gersonis Tractatum de parvulis trahendis ad Christum. Tom. II. Opp. f. m. 33. Sed benè jam habet, quod vel exemplo Reformatoris sui moniti resipuerit Pontificii. Statim enim, ponderato Catechismi Lutherani insigni successu, & ipsi ad scribendas Catecheses animum adplicuerunt. Petrus hinc Canisius magnum, & l. ex Catechetico studio maximum inter Lojolitæ, nomen, Friburgensium quasi quidam Patronus, & Ecclesiæ per Helvetiam Patriarcha, Religionis Catholice suo tempore Columna (encomia Epitaphii Friburgi in D. Nicolai Ecclesia positi recito, ex Alegambe Biblioth. Jes. p. 375.) Catechismum dabat, & Concilii Tridentini Patres de cudendo Catechismo agitabant consilia, quorum ductu Catechismus Romanus prodit; Agite jam Papæ, & audete negare Catechismos Lutheri beneficio vobis restitutos, Laudo Candorem Antonii Possivini, qui loco supra adducto p. 45. ingenuè: *Quid ergo? si ita posthac fiat, ut Catechismum doceamus, existimabit populus, NB. aut hoc manasse ab aliis, aut hæctenus nos dormitasse. Atqui NB. ut verum utrumq; est, ita Christiani hominis est potius culpam suam agnoscere, quam Reipubl. periculo tegere privatam vitium.* Transeo alia loca, illum maximè p. 10. in quo calamum felle quidem tingit; primo tamen nos methodum Catechetica, postliminio in Ecclesiam reduxisse adfirmat. Neque tamen pari successus felicitate Lutheri laborem Catecheticum imitatos fuisse fidei suæ necessarios Serenissimus Hassiæ Landgravius Ernestus in Catholico discreto Sect. III. cap. II. Sect. I. & 2. p. 429. seq. fatetur: Und hat es der in vielen sehr rühmlich ob schon Luthersche Fürst / Herr Herzog Ernst von Sachsen Gotha / mit der Unterweisung und Examination des gemeinen Bürgers und Bauersmanns gar weit gebracht!



gebracht/ ob er schon manchmahl ziemlichen Undanck darmit verdient. Sect. 2. Müsse secundum ordinem Romanum in der allgemeinen Land-Sprache in zweyerley Format gedruckt sich finden/ (1.) ein kleiner kurzer/ vor die kleinen jungen Kinder/ (2.) ein weitläufftiger zwey bis drey mahl so groß als der erste vor die Erwachsene/ wenn sie das erste mahl zur Communion und Confirmation admittiret werden sollen/ daraus ein ieder Christgläubiger Mensch mit Fundament sagen könne / ich weis warum ich an Gott und eine Ewigkeit gläube / und keiner andern Religion seyn kan noch will/ als allein der Römischen Catholischen ihrer/ welcher Catechismus den zu Rom durch gelehrte und erfahrene Theologos erst zwar in Latein concipiret und gedruckt/ hernach in alle gemeine Land-Sprachen transfirret/ und alsdenn in Romanâ Ecclesiâ kein anderer nicht zugelassen und von Pastore alle Sonntag nach Mittag fleißig getrieben werde/ an statt der Exempelchen/ hätte bald gesagt Wahrlein/ oder subtilen Fragen &c.

## THES. IV.

*Et cantus in lingua vernacula & ipsorum carminum formam Ecclesia Rom. Luthero debet.*

**S**ed pergendum ad reliqua Megalandri nostri *ἱεραγυμναστία*. Hymnos dico Ecclesiasticos, qui jam antiquissimis temporibus (vide *Plinium* lib. X. Epist. 97. & in Panegyrico, *Ignatium* aut quem illius nomen tegit Lib. *Quæstion. & Respons. ad Orthodoxos* qv. 107. *Tertull. Apol. cap. 2. Photium* in *Nomo Can. tit. 3. Voetium* *Politicae Eccles. P. I. c. II. p. m. 522.*) alteram partem cultus publici fecerunt. (Zwvnglii enim impios Sarcasmos jam asseclæ quoque illius passim improbant & abominantur conf. *Voet. l. c. Hoornbeck. Miscellan.*



*ipsis non diffitentibus profuerit?*

17

scellan. Lib. I. cap. XI. 306. seqq. & in summa Controversiar. de Brovynistis p. 686.) Hos Lutherus vernacula lingua decantandos instituit & piissimas formulas ipse præscripsit. Quid verò ante Lutherum, (excipio hic meritò Hussitarum pietatem) Monachi & Moniales Psalterium Latinum decantabant ad ravim usq̄e suam & fastidium Laicorum, qui nec Amen quidem addito, societatem fidei profiteri poterant Imo nec ipsi Ascetæ magis quod canerent intelligebant in illa seculi imperitia, quam Bileami asina hero suo injuriarum actionem intentans. Quantum verò emolumentum afferant hi hymni ad devotam DEI agnitionem, atq; emendationem vitæ; planè ligneus & saxeus qui ignorat, impius, qui negat. Loquatur *Thomas à Jesu Carmelita* Lib. VIII. de Conv. Gent. P. II. p. 541. *Cantilenæ vernaculo idiomate, quam plurimæ ex ipsiusmet Lutheri officina sunt profectæ, mirum est quam promoveant rem Lutheranam. Quædam sunt Catechistica, quædam dogmatica, aliæ emulantur Psalmos pios, recitant exagitantque Christianorum vitia seu vera seu ficta, &c.*

Admoniti igitur & hinc Papæi pudendam negligentiam exuerunt. Audi *Conzenium* Jesuitam lib. II. Polit: c. 19. f. m. 100. modo reducendæ veræ Religionis: *Hymni Lutherici animas plures quam scripta & declamationes occiderunt* (verba corrige *Lojolitæ, servarunt*) quidni igitur NB. hoc ad medicinam usurpet *Princeps Orthodoxus* (Papista, scilicet!) quod ad perniciem impostores (hac injuria & Christum affecerunt Pharisæi, Beatus hinc Lutherus!) excogitarunt. Adde eundem lib. VI. Polit. c. VI. p. m. 350. Et postquam semel errorem agnoverunt, secuti sunt *Moguntini*, qui in *Cantionali* suo hymnos B. Lutheri & non sine plagii literarii crimine plerosq̄e integros aut blasphemè interpolatos retinuerunt,

C

Red.



Reddam illorum, quæ jam scripsi, rationem.

**Männzisch, Gesangbuch. Catholisch Cantual,**

das ist alt und neu

**Männzisch, Gesangbuch/**

darinneu die Außerlesenste theils alte / theils neue Catholische / Latein  
und teutsche Gesänge so man das ganze Jahr durch in den Kirchen/  
Sodalitäten / Processionen, und sonsten zusingen pflegt / sambt  
dem Basso Generali ad Organum begriffen. Anlezo vom  
neuen übersehen und verbessert Cum gratiâ &  
Privilegio, &c.

Gedruckt und verleget zu Männz

durch Christoph Rühlern/ Anno 1679.

Primum certè carmen Lutherani est autoris &c.

Des Morgens wenn ich früh aufsteh/ und des Abends zu Bette geh.  
&c. p. 1.

p. 27. Versio & Compositio, ipsiq; Lutheri est, quàm verbotens retinèt:

Der Tag der ist so freudenreich / allen Creaturen / denn Gottes  
Sohn vom Himmelreich / über die Nature / von einer Jungfrau ist ge-  
bohrn / Maria du bist außerkohrn / daß du Mutter wärest / was geschah  
so wunderbarlich / Gottes Sohn vom Himmelreich / der ist Mensch geboh-  
ren / 2c. Hymnum Lutheri p. 29. Von Himmel hoch da kom ich her / 2c.  
ita canunt: Es kam ein Engel hell und klar / von Gott ans Feld zum  
Hirten dar / die waren gar von Herzen froh und sprach frölich zu ihnen  
also:

Von Himmel hoch da kom ich her / und bring euch viel der neuen  
Mähr / der guten Mähr bring ich so viel / davon ich singen und sagen wil.

Der H. Erre Gott in höchsten Thron / hat euch gesand sein lieben  
Sohn / der euch ist heut ein Mensch gebohrn / von einer Jungfrau außerkohrn.

Zu Bethlehem in Davids Stadt / wie euch die Schrift hat lang  
gesagt. Das ist eur Heyland Jesus Christ / drums fürcht euch nicht zu  
dieser Zeit.

Das neugebohrne Kindelein / das ligt in einem Krippelein. Mit  
Windelein ist es eingehült / der alle Ding mit Krafft erfüllt.

Darnach



Darnach kam bald eine grosse Schaer/ der lieben Engel hell und  
klar die sungen gar ein schönes Lied/ und freuten sich gar herzlich mit.

Sie sprachen Gott sey Preis und Danck den sungen wir den Lob-  
gesang den Menschen sey auf Erden Fried/ den solches auch wohl gefäl-  
let mit.

Die Hirten gingen allgemein und suchten dieses Kindelein/ sie fun-  
dens wie der Engel sagt/ mit Maria der reinen Magd.

Bis willkommen du Kindlein zart/ wie ligstu so elend und hart/ du  
König/ Schöpffer aller Ding/ hält dich dein Volck so gar gering?

Hastu denn sonst kein Herberg hie / daß du must liegen bey dem  
Bieh/ dein Küßlein ist ein dürres Gras/ davon ein Kind und Esel aß.

Der Sammet und die Seiten dein/ sind gar geringe Windelein/  
wie ist die Geburth so arm und schlecht/ doch saget uns der Engel recht.

O liebes Kindlein bloß und arm/ dich unser aller heut erbarm/ wie  
wollen dir auch dienen gern/ als unsern lieben Christ und HErrn.

Gelobet sey der höchste Gott/ der uns so hoch geliebet hat / denn  
singen wir mit Einigkeit/ Lob/ Preis und Danck in Ewigkeit.

Lutheri est p. 31. Gelobet seystu Jesu Christ : Cui pauca addi-  
derunt Gelobet seystu Jesu Christ/ daß du Mensch gebohren bist / von  
einer Jungfrau rein und klar/ des freut sich der Engel Schaar Alleluja.

Gelobet sey die Jungfrau zart/ von der Christus gebohren ward  
uns armen Sündern allzu Trost daß wir durch sein Bluth würden er-  
löst Kyrieleison.

Gelobet sey der Engel-Schaar/ die bey der Geburth auch war/  
und sang den kleinen Kindlein Lob/ auf Erden und auch in Himmel drob  
Kyrieleison.

Des ewigen Vaters einzig Kind itz man in der Krippen find/ in un-  
ser armes Fleisch und Bluth/ verkleidet sich das ewige Guth.

Den aller Welt-Kreis nie beschloß/ der liegt in Marien Schoß/ er  
ist ein Kindlein worden klein/ der alle Ding erhält allein Kyrieel.

Das ewige Licht geht da herein / und giebt der Welt einen neuen  
Schein/ es leucht wohl mitten in der Nacht/ diß Licht hat uns das Kind-  
lein bracht Kyrieleison.

Der Sohn des Vaters Gott von Art/ ein Gast in der Welt hie  
ward/



ward/ und führt uns aus dem Jammerthal/ und macht uns Erben in  
seinem Saal Kyrieel.

Er ist auf Erden kommen arm/ daß er sich über uns erbarm/ und  
in den Himmel mache reich/ uns seineu lieben Engeln gleich Kyrieel.

Nun bitten wir gar herzlich/ daß du uns wollest gnädiglich/ an  
Leib und Seele wohl bewahren/wann wir aus diesem Elend fahren. Kyr.

p. 40. Versionem Lutheranam nec syllaba mutata retinent:

Ein Kind gebohrn zu Bethlehem.

p. 153. Da JESUS an dem Creuze stand &c.

p. 180. Parodiam Hymni Ristiani ita concinnarunt. O Traurigkeit.

O Traurigkeit/ O Herzeleid/ ist das nicht zubeklagen / Gottes  
Vaters einigs Kind/ wird zum Grab getragen.

O höchstes Guth/ unschuldigs Bluth/ wer hätte diß mögen denken  
daß der Mensch sein Schöpffer solt an das Creuz auffhengen.

O heisse Zähre/ fließ immermehr/ wem solt diß nicht bewegen/ well  
sich über Christi Tod auch die Felsen regen.

Es muß ja seyn aus Marmelstein der Jüden Hertz gewesen weil  
sie nur zu solcher Pein/ lachten wie wir lesen.

Wie grosse Pein Maria rein/ leidest über die massen/ dann du bist  
von jedermann ganz und gar verlassen.

Wie schwer ist doch der Sünden Joch/ weil es thut unterdrücken  
Gottes Sohn/ als er das Creuz trug auf seinen Rücken.

O grosser Schmerz: O steinern Hertz steh ab von deinen Sünden/  
wann du wilt nach deinen Tod/ Gottes Gnad empfinden.

p. 322. Erstanden ist der heil. Christ verbotenus.

p. 358. Versionem Lutheri Te Deum laudamus paucis immutatis  
ita adhibent:

Dich Gott wir loben und ehren dich bekennen wir unsern Herrn.  
Gott den himml. Vater in Ewigkeit/ all Creaturen lobn weit und breit.

Dem neigen sich die Himmel / Engel und Cherubim/ dem singen  
die feurigen Seraphim/ Heilig/ heilig/ heilig ist Gott der allmächtige  
HERR Sabaoth.

Der Himmel und auch die Erden weit / sein voll deiner Ehr und  
Herrlichkeit/ der heiligen Apostel. Chor/ auch der Propheten außerlesene  
Schaar.

Auch



Auch der großmütigen Martyr-Zahl/ loben dich zugleich mit gro-  
ßen Schall/ die ganze werthe Christenheit dich lobet und preiset allezeit.

Dich Vater in den höchsten Thron / sein einigen lieben wahren  
Sohn/ dem Tröster auch und heiligen Geist gebührend Lob all Ding er-  
weist.

O König der Ehren Jesu Christ/ des Vaters ewiger Sohn du  
bist/ der Jungfrau Leib nicht hast verschmäht zu erlösen das menschliche  
Geschlecht.

Du hast zerstört des Todes-Macht / die Gläubigen zum Leben  
bracht. Zur rechten Gottes ist dein Sitz/ wohl auf des höchsten Him-  
mels Spitz.

Ein Richter du zukünftig bist/ alles was todt und lebendig ist/wir  
bitten hilff den Dienern dein/ die mit deinem Bluth erlöset seyn.

Mach uns mit deinen heiligen Heer/ theilhaftig der ewigen Ehr/  
gib deinen Volck Gnad/Trost und Heyl/und segne uns als dein Erbtheil/  
erhöhe uns in Ewigkeit.

All Tage Herr preisen wir dich loben deinen Nahmen ewiglich/  
thu uns gnädig behüten heut/ für Sünd und Ungerechtigkeit.

Erbarm dich unser o Herrre Gott und steh uns bey in aller Noth/  
über uns kom dein Barmherzigkeit/wie wir von dir hoffen jetzt u. allezeit.

p. 373. Ipsi Lutheri Canticum. Gott sey gelobet und gebene-  
det. &c.

p. 549. Gott der Vater wohn uns bey ic. cui impië nonnulla  
addiderunt.

Gott der Vater wohn uns bey und laß uns nicht verderben/ mach  
uns von allen Sünden frey und hilff uns seelig sterben/ vor den Teuffel  
uns behüt/ durch einen rechten Glauben / bewahr uns vor der Höllen-  
Gluth/ durch ein herzlich Vertrauen/ wir befehlen dir ganz und gar in  
allen unsern Nöthen/ daß du uns all behüten wollest/ vor dem ewigen To-  
de Kyrie eleyson/ Christe eleyson/ Kyrie eleyson. Gelobet sey Gott und  
Maria.

Jesus Christus wohn uns bey/ und laß uns nicht verderben/ mach  
uns all unser Sünden frey/ und hilff uns seelig sterben/ vor dem Teuffel  
uns behüt &c.

Gott heiliger Geist wohn uns bey / und laß uns nicht verderben  
&c. wie oben.



Heilige Dreyfaltigkeit wohn uns bey/ und laß uns nicht verderben  
&c. wie oben.

Maria Gottes Mutter wohn uns bey/ und hilf uns Gnad erwerben/  
daß wir der Sünden werden frey/ und endlich seelig sterben / deine  
Vorbitt uns mittheil / reine Maad Maria/ zuerlangen ewiges Heyl/  
daß singen wir Alleluja. Alleluja singen wir/ Gott und dir zu lobe/ daß  
er uns erzeigen woll/ seine göttliche Hulde/ Kyrie eleyson / Christe eley-  
son/ gelobt sey Gott und Maria.

O heilige Engel wohnt uns bey/ und helfft uns Gnad erwerben/  
daß wir von Sünden werden frey/ und endlich seelig sterben/ euer Vor-  
bitt uns mittheilt/ wie auch thut Maria/ zuerlangen ewiges Heyl/ so sin-  
gen wir Alleluja/ Alleluja singen wir/ Gott und Euch zu lobe / daß er  
uns erzeigen woll/ seine göttliche Hulde/ Kyrie eleyson/ gelobt sey Gott  
und Maria.

p. 582. Lutheri Vater unser im Himmelreich:

Vater der du bist/ Kyrie eleyson/ im Himmel da ewige Freud ist/ o  
Vater mein/ erbarm dich unser auf Erden/ auf das wir deine liebe Kin-  
der werden.

Geheiligt werde der Name dein/ Kyrie eleyson / Du wollst uns  
Sündern gnädig seyn/ o Vater mein/ erbarm dich unser auf Erden &c.

Berleth uns HErr das Himmelreich/ Kyrie eleyson / auf Erden  
wie in Himmelreich/ O Vater mein &c.

Gib uns O HErr! das täglich Brodt / Kyrie eleyson/ behüt uns  
vor der Sünden-Noth/ O Vater mein &c.

Vergib uns HErr all unser Schuld / Kyrie eleyson / erhalt uns  
auch in deiner Huld/ O Vater mein &c.

Und führ uns in Versuchung nicht/ Kyrie eleyson/ hilf wann uns  
der böse Geist ansicht/ O Vater mein &c.

Von allen Ubel uns erlöß/ Kyrie eleyson/ hilf daß wir ewig wer-  
den getröst/ O Vater mein &c.

plura ejusmodi carmina addere possem, quæ Liber Canticorum Mo-  
guntinus refert, & ex Catholicis desumpta esse adfirmat, ipsius interim  
Lutheri & fidei Evangelicæ necessariorum labores, nisi hæc sufficere  
crederem.

THES. V.

*Indulgentiarum nundinatio in angustias quod sit redacta, reformatio-  
ni B. Lutheri adscribere necesse habent Pontificii. Non*



**N**ON pietati modo vestrae, sed & loculis consuluit optimus Lutherus,  
O Viri Papae, quos intra Laicorum classem conjicit Sacri rasiq; or-  
dinis ambitiosum superciliu. Evacuabantur antea crumenae vestrae im-  
piis sacrilegarum indulgentiarum (quas lectionibus publicis haecenus  
exposuimus) nundinis & nefarii institores veniae ex pecca-  
tis vestris heluabantur, epulabantur, scortabantur. Quae  
res tantam habuit indignitatem, ut plerique modestiorum ex vestra  
religione tam impiam mercaturam execrarentur: unicum nunc alle-  
go *Wesselum Groningantum*, qui ob suas contra indulgentias institutas  
disputationes dictus est *Magister contradictionum*: plures *Heidegger*  
*Anatom. Conc. Trid. p. 1203.* dabit. Videbant nempe pro Simone Pe-  
tro Romae regnare Simonem Magum, & turpissimis exactioibus ex-  
hauriri loculos, offendi conscientias. Quis autem huic morbo formulam  
praescripsit? Quis divina animi magnitudine se opposuit? quis pacem con-  
scientiis, tranquillitatem rebus, securitatem loculis reddidit? Divus cer-  
te Lutherus. Magnifice, inquis, haec & numero dicis. Sed audi, O Papi-  
cola, si mea tibi fides sublesta, *Laurentium Surium* Tuum tibi sisto, is  
in Appendice ad *Chronicon Naucleri Jen. II. col. 566.* ita. *Quia inter-*  
*dum non parvi abusus ejusmodi Indulgentiis evulgandis sese immiscue-*  
*rant, inde sumpta occasione Lutherus primum in Indulgentiarum im-*  
*modicos quosdam & sordidos suo duntaxat quaestui inservientes bucci-*  
*natores acriter invehit, &c.* In ipsis hujus Tragediae initiis visus est  
Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo telo move-  
ri, planeque nihil spectare aliud quam Ecclesiae reformationem, cujus quid-  
dam deformes abusus non parum male habebant bonos omnes. Et Episcopus  
Tornacensem, *Epistole Pastoralis ad fideles dioecesis Tornacensis*  
*de Cultu Beatissimae Virginis Mariae & aliorum Sanctorum, occasi-*  
*ne libelli cujus titulus est Monita Salutaria B. V. Mariae ad Cultores su-*  
*os indiscretos* Insulis ex officina Nicolai de Rache, p. 8: *Sanè si Lutherus*  
*Ecclesiae Catholicae Praesulibus tantum aperuisset, quae circa Indulgentias*  
*peccabantur, laudandus planè erat ipsius zelus, coercendi fuerant ii, qui*  
*concessis ad bonum Ecclesiae Indulgentiis per summam & ad omne scelus*  
*proiectam audaciam impudentissime abutebantur. Hoc deinceps fecit*  
*sanctissima Tridentina Synodus. Vae qui dicitis malum bonum, & bonum*  
*malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Indulgentiarum*  
*nundinatio damnanda erat etiam tempore Lutheri, & quae super ea re*  
*reformanda monuit reformari debuerunt. Imo ipsi Tridentini Patres*  
Rom.



Rom. Vejovis mancipia quique non ex tripode sed ex mantica tabellarii Rom. responsa dabant, videntes scelus hoc inextinguibile originem bello sacro dedisse, serâ licet poenitentia ducti, ita culpam fatentur, & hoc decreto Lutheri beneficium agnoscunt. Sess. XXV. decreto de Indulgentiis. Abusus vero, qui in indulgentiis irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hereticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, presenti decreto generaliter statuit, pravae quae sunt omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusu-um causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in primâ Synodo provinciali referat: ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate & prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur. Et tantum hac vice.

Vos autem, ô Tridentinae fidei assertores, appello. Aperite vel nunc oculos, quos malevolentia & obrectatio clausit. Quid attinet vespertilionum more excludere lucem & ad tantum meridiem connivere? Tanta sunt merita Lutheri nostri, quae in vos quoque redundant communi utilitate, ut vestrorum multi, quod vidistis, (utinam maxima Divi Viri beneficia, quae pura Verbi Divini praedicatio est, etiam admitterent,) negare non ausint. Sed obstrepat in consultus religionis fervor & quaedam maledicendi libido. Ita fit ut maledictis & conviciis plerique vestrum benefactorem incessere malint, quam silentio saltem merita premere, quod tamen quoque esset animi parum ingenui. Agnoscite igitur & haec & his multo majora beneficia. Ita namque & Ecclesiae commoda auxeritis, & conscientiae feceritis satis. Illi vero qui illudunt, cavillantur, maledicunt & veritatis cursum pro virili parte sufflaminant, noverint aliquando sibi reddendam rationem ad tribunal Jesu Christi, ubi postquam causa ceciderunt, inutili poenitentia inter aeternos cruciatu animos macerabunt.

TE vero aeternae Patris & Stator huius Academiae clementissime, cum Filio & Spiritu S. suppliciter veneror, ut hanc cathedram Lutheri, ex qua tot beneficia in universam Ecclesiam tua gratia fluxerunt, ab omnibus corruptelis puram sanctamque conservare velis. Tu rege atque custodi hodiernae diei, cuius A. 1517. autor fuisti, felicitatem ad mundi novissima: EIAT!

S. D. G.



bellarii  
in bello  
hoc de-  
dulgen-  
tione in-  
ndatos  
s questg  
abusu-  
supersti-  
rovene-  
i com-  
; man-  
Ecclesie  
m quod  
Pontifici  
i Eccle-  
el nunc  
esperti-  
Tanta  
i utili-  
viri be-  
nt,) ne-  
vedam  
um be-  
e, quod  
& his  
ritis, &  
edicunt  
ando si-  
m causa  
cerabūt.  
ne, cum  
peri, ex  
bonni-  
custodi  
novissi-

ULB Halle  
003 919 870

3



FLA 7









4  
 B. Viri Acade  
 dent. Hôc a  
 quodnam pr  
 bis sit. Bibl  
 (quam & ob  
 ipse *Richard*  
*cipuar. Edit.*  
 num plane o  
 XIV. p. 154. se  
*Mülleri* Luth  
 in vindiciaru  
 litarum insta  
 358. seqq.) ta  
 tum coelestia  
 Tridentini pa  
 de publica en  
 vocant, confi  
 chi! negare au  
 perdidit. V  
 innumeris fer  
 maticalibus, c  
 blia vestra Lat  
 sione vestris h  
 certè oratio fl  
 gandis Hercul  
 cem duo Pont  
 cam. Vix cen  
 men velut in se  
 fluxère, turbid  
 tum volo illud  
 I. Gen. de V. D

diffiteri au  
 berandum,  
 andum no  
 m accurata  
 tate laudat  
 at alogo pra  
 n. 142.) divi  
 heri Conc.  
 450. 454. B.  
 os plurima  
 apias Lojo  
 abstihum p.  
 ellit, quan  
 one accensi  
 verca fuit)  
 Vulgatam  
 , ô Mona  
 , pudorem  
 , annon  
 am gram  
 uerint Bi  
 a sua ver  
 lutulenta  
 us expur  
 n ejus vi  
 s mox di  
 qvas ta  
 rdes con  
 argumen  
 m. Contr  
 ait: *Deus*  
 (*Jacob.*

